



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrghensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Priuilegium Domini Heinrici Ducis Bauariae superhoc quod duntaxat
conueniri debeamus in Landau.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

bio obnostrorum prædecessorum & præpriorum veniam delictorum nudi Salis libram dimidiam Cuppullarum, quod ain halbs Pfundt fäderlein, vulgariter appellatur in Salma nostra tradidimus annuatim. Ita quod sæpedito monasterio dicta salis quantitas apud Salmam nostram annis singulis in festo Pentecostes ab officialibus nostris qui ibidem officium Salmæ pro tempore tenuerint assignetur. Et vt talis donatio perpetuo gaudeat robore firmitatis memorato Conuen. signum euidens hanc paginam dedimus sigilli nostri munimine obsignatam. Sunt etiam huius rei testes Rudgerus venerabilis Patauien. Episcopus, Otto Salzburgen. Præpositus, Waltherus Abbas in Raichenhaslach, D. Cellarius eiusdẽ Conobij, Dominus Gerochus de Salzburg, Dominus Æbhardus de Lengerbach, Dominus Heinricus de Harskirchen, Dominus Ortolfus Vulpis, Dominus Hertmundus de Noppingen, & alij quam plures. Datum huius apud Burchausen. VI. Idus Ianuarij. Anno Domini MCC. XLVI. Indictione III.

Absolutio à thelonio siue muta in Vilshouen.

NOS Heinricus Dei gratia Palatinus Comes Rheni Dux Bauariæ, præsentem litteram vniuersis ad quos peruenit declaramus, quod dilectis ac venerabilibus Abbati & Conuentui in Alderspach hanc fecimus gratiam specialẽ, quod vinũ eorũ ac etiam victualia quæ ad præbendam fratrum inibi seruientium spectare noscuntur, in muta nostra Vilshouen sine omni exactione liberum habeant transitum ac securum, siue per terram transeat vel per aquam. Vt autem talis nostra donatio ipsis permaneat inconuulsa, præsentem litteram Sigilli nostri robore communitam ipsis decreuimus assignare. Acta sunt hæc in Landau. Anno Domini M. CC. LVI. III. Idus Decembris.

Priuilegium Domini Heinrici Ducis Bauariæ super hoc quod duntaxat conueniri debeamus in Landau.

Heinricus Dei gratia Palatinus Comes Rheni Dux Bauariæ, omnibus per sui Dominij districtus præsentem litteram inspecturis Salutem & omne bonum. Quanto præminentiori titulo doratus est ordo Cisterciens. quantaq; deuotione professores ipsius Conuentum Ecclesiæ in Alderspach circa honorem nostrum promptos inuenimus & paratos, tanto ipsorum indemnitati fauorabilius prouidentès ne secundum situm prædiorum per vexationes impetentium dispendiosè ad diuersa iudicia pertrahantur, ipsis de nostra gratia tenore præsentium specialiter indulgemus, vt si quis contra eos de causis quocunq; respectu prædiorum per nostros terminos habuerint actionem, coram iudice nostro de Landau qui pro tempore fuerit conueniri debeant, ac sine quolibet superfugio respondere. Datum in Landau Anno Dominicæ incarnationis M. CC. LXIII. V. Idus Ianuarij.

Priuilegium Dn. Nicolai Papæ III. propter Nobiles de Henzing.

NICOLAUS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Abbati Monasterij de Alderspach Superiori Ratisbonensis Diocesis Salutem & apo-